

efficientes, exemplares ac finales ex Platonis atque priscorum asseveratione.

5 Annectit:⁶² *Ita enim forte causae videantur esse, ut album mixtum albo.* Hoc autem dixisse inquit Anaxagoram primo, Eudoxum deinde, quae cum nihil ad Platonem pertineant, non responde-

10 mus. Sed ait:⁶³ *Sed enim nec ex ideis sunt alia secundum ullum modum qui solent dici.* Locus implicitus est. Attamen Alexander Aegaeus exponit, modos inquit intelligit eos, qui dicuntur aliquid ex aliquo fieri, ut ex materia, ex forma, ex efficienti, ex partibus, ex imperfecto, ex contrariis vel secunda significatione modos, qui dicuntur ab idearum authoribus, scilicet ideas singulis hominibus inesse, rei partem ideae in unoquoque, vel ut exemplaria.

15 De illis prioribus dicimus nos inferiora ex ideis esse, ut ex efficientibus causis, si tamen talis loquendi modus sit in usu. Ut enim filius ex patre et sole et natura fit, ita etiam ex idea fit, quod quidem iam ostendimus.

De secundis, priores duo Platonis non sunt, nihil ergo ad nostram rem.

20 Tertius ideas esse horum exemplaria Platonis est, quem Aristoteles irridet:⁶⁴ *Dicere vero eas esse exemplaria et participare eas alia vaniloquentia est et metaphoras dicere poeticas, quod enim est operans ad ideas respiciens?* Opifex nempe rerum is est, qui in se ideas habens, in se respiciens, res producit non aliter quam suus
25 ille aedificator 5. De ente, formam domus, quam in mente habet, non oculis sed mente respiciens domum in materia producit. Cur ergo haec vaniloquentia non est aut poetica metaphora illa est?

⁶² οὕτω μὲν γὰρ <ἀν> ἴσως αἰτία δόξειεν [δόξαιεν] {ἀν} εἶναι ὡς τὸ λευκὸν μεμιγμένον τῷ λευκῷ. [ARIST. Metaph. 1079b.18 – 19]

⁶³ ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἐκ τῶν εἰδῶν ἐστὶ τᾶλλα [τ' ἄλλα] καθ' οὐδένα τρόπον τῶν εἰωθότων λέγεσθαι. [ARIST. Metaph. 991a.19 – 20, također: ARIST. Metaph. 1079b.24]

⁶⁴ τὸ δὲ λέγειν παραδείγματα αὐτὰ εἶναι καὶ μετέχειν αὐτῶν τᾶλλα [τ' ἄλλα] κενολογεῖν ἐστὶ καὶ μεταφορὰς λέγειν ποιητικὰς. τί γὰρ ἐστὶ {τὸ} ἐργαζόμενον πρὸς τὰς ἰδέας ἀποβλέπον; [ARIST. Metaph. 991a.20 – 23]